Nuptiarum solemnitati
Ornatissimi doctrinâ prudentiâ & virtute
VIRI,

DN. CHRISTIANI TORNOVII,

Sacræ Regiæ Majestatis Svecicæ qvondam
Secretarij fidelissimi,
Cum
Lectissimâ & pudicissimâ virgine

REGINA,

Prudentissimi literatissimiq; viri,
DN. HEINRICI Burggrafen/
Scabinatûs Sedinensis qvondam
Secretarij dignissimi
relictâ Filia
secundûm SPONSI,
Gratulantur Amici.

STETINI, Typis GEORGII GOETSCHII.
ANNO 1636.

Christiani Tornovij secundis, & Reginæ Burgrafiæ, post Dominic. de vinea, Nuptijs.

PRona regi matri REGINA, regenda marito
Traditur, ut sobolem, docta, domūq; regat.
Vinea vos CHRISTI poscit, sudate parati,
Oeconomi est drachmam pendere, vesper erit.

Christoph. Albinus D.

ANtè *Tibi* Viduam *sociali fœdere jūnxsti,*
Nunc thalamos intrat bella Puella *tuos.*
Discrimen quodnam, vel quale sit inter Utramq;
TORNOVI, hoc ipsum Nox dabit una Tibi.
Conjugij γλυκύπικρα. *Prior, moresq; Mariti*
Noverat; Hac abs Te discere cūncta potest.
Oro Deum, vester sit Dulcis, non sit Amarus,
Felleus haut, sed sit Melleus, oro, Torus.
SPONSA hac nocte, precor, tua Mater fiat & Uxor,
Augeat atq; suô tempore Prole Domum!

ANDR. HILTEBRANDT. MED. D.

DIcere, *Sponse*, aliàs *Tornovius*: ast Ego qvid si
Te dicerem *Tornarium?*
Id qvùm concedat vocum cognatio pulcra
Tornovij, Tornarij;
Effectusq; notat: Tornâsti qvippè figuras,
Qvibus nihil formosius!
Et Meditaris adhuc tornô tornare politô
Formas novas: Ideò Tibi
(Qvum disturbavit mors indiscreta priorem
Proh! officinam) jam novam.

Sole-

Solemni reparas ritu, Tornatilis in qvâ
Materia se fors offeret,
Unde qveat fieri *Tornovius* unus & alter
Formosulus, Formosula.
Aut *Tornovia*: Nam *non semper Tornio Tornô*,
Fieri qvod optat, efficit.
Fiat ut hic aliqvid, faxit, qvi muneris hujus
Et Autor & Fautor, DEUS.

M. Martinus Bambamius P. L. & Sch: Sed: Sen: ConR.

REGINA *nunc TORNOVIO*
Venusta Docto jungitur,
Connubiali fœdere,
Regente fata sic DEO.
Juvenes viri atq; fæminæ
Linguis favete & pectore
Sponsisqve claris & piis
Precamini felicia.
Concors sit hoc connubium,
Sint multa lecti pignora,
Vestrumq; crescat hoc toro
Semperq; floreat genus.
Feliciter cum SVAVIO
Diuq; SPONSE vivito,
DEUM timete: nam pios
Clemens tuetur conjuges.

Michaël Hiltebrant. Coll: S.S.S.

Assamentum Tornovianum Nuptiale.

JUris peritos inter alma gestiit
Locare te Themis, sed arduam prius

Molem

Molem laboris sustineres præmonet.
Obœdiens his jussibus te subijcis.
Viris bonis meam dicabo dexteram,
Eisq; præsto sum scientiâ meâ:
Hæc fatus es; simulq; fatum præficit
Te muneri spectabili, secretaq;
Te condocet Themis, fidemq; sic probat
Et diligentiam tuam, qvæ congruat.
Post conjugatos inter audis perbonus
Vir, Christianus, comprobator nominis
Qvod in lavacro Mysta sanctus indidit.
Nec hic receptat ordo te hisce nuptijs
Primum, sed ante luxit annos par facis
Honor, ferali veste qui pollutus est.
At nunc vicissim providentiâ Dei
Vestem feralem cum stolâ lætissimâ
Connubij mutare vis. Feliciter
Proinde dico nunc Stolam tibi applica,
Ut est honore digna res Connubium. Heb.13. v.4.

Jacobus Möllerus Coll. Sch. Sed. Sen.

Pravi nunc homines reddunt rectissima curva;
Tornovius Sponsus flectere curva valet.
Det Deus in thalamo vivos cum tempore tornos,
Mundum qui curvum flectere ritè qveant.

Joachimus Neccerus Coll. Schol. Sed. Sen.

Christianus Tornovius,
per ἀναγ. tripl.
1. Tristia cor novus sinu,
2. Ornor vinctus istâ vi,
3. Si virtus coronat, nisu.

Non

NOn tàm continuis latente Phœbo
Terras imber aquis rigat, fenestræ
Quamvis & fuerint poli reclusæ,
Nec non largifluis natare cuncta
Guttis efficiant, ut usitatus
Cœlo non redeat nitor sereno,
Quando solis abest velamen atra
Nubes, cuncta micant, polusq; splendet.
Non tanta est hyemis diu furentis
Inclementia, ut integrum per annum
Exercere suas velit Tyrannus
Vires, cedit enim, noviq; veris
Succedi patitur bonum, decusq;
Speratum; Hinc homini licet salire,
Et rerum faciem novam videre.
Nec tantum dabitur malum dolenti
Mortali (Quis enim doloris expers?)
Ut non sors melior, dolore dempto,
Contingat: Vicibus solet rotare
Alternis homines Deus, fatigat
Mortales variâ cruce, afficitq;
Mentes lætitiâ novâ, dat idem
Ut fortuna favens benigniori
Vultu respiciat dolore pressum.
Et quis, Tornovium videns ovantem
Rursus post lachrymas, negabit istud?
Privatus sociâ tori hactenus sat
In luctu miser anxiusq; vitam
Traxit, nunc animum sereniorem
Prodit, *tristia* nunc metumq; pellit,
Ejus *Cor* salit, & *novus* videtur,
Consortem thalami *sinu* secundam.

Reginam excipiens, aitq; lætus:
Ornor vinctus & impeditus *istâ*
Vi, quam luminibus tuis venustis
Summus rerum opifex inesse jussit,
O quæ sola meo places puella
Cordi, virginei decus pudoris,
Si virtus speciosa te *coronat*,
Cur non conciliem mihi favorem
Nisu virgo tuum, artibusq; rectis?
Rectè, Sponse, tuum canens Amorem
Inferres: Thalamum DEUS secundet
Vestrum, nil noceat Tibi Tuæq;
Consorti, numerosa vos nepotum
Cingat copia: vivite & valete.

Thomas VVismarus S. S. S. Coll:

QUorum hominum questus perstrinxit pectora amarus,
Et quibus affulget rursum post nubila phœbus;
Hoc merito dictum proclamant voce suprema:
Gaudia post luctus veniunt, post gaudia luctus:
Hoc de te farer cur non affinis amande,
Tu qui defuncta [vah!] tristabare priore
Conjuge, nunc aliam tibi firmo fœdere jungis,
Lætitia exultas, tua nec præcordia rodit
Euge! dolor, redit & rutilans post nubila phœbus.
Ergo connubio sociam tibi jungere vitæ
Si cupis, hoc facito, primus sit Christus ut hospes;
Rebus in adversis credentibus omnibus adstat
Adjutor fidus, propulsans cuncta pericla.

Martinus Bravverus S.P.

SI simplex imo fert gaudia pectore Amicus,
Cedere cum cunctas res perbene cernit Amico;

Cur

Cur Consanguineus non carpat gaudia mente,
Cedere cuncta videns bellè sibi sanguine juncto?
Hinc nec Ego possum, quin jam nunc pectoris imi
Gaudia depromam placidâ dulcedine captus,
Cedere pro voto video ut tibi, Sponsa venusta,
Quæ conjuncta mihi es sat glutine Sanguinis arcto,
Jungere dum thalamo Doctiq; Probiq; Mariti.
De qua sorte tibi jam pectore grator ab imô,
Exoptoq;, diu cum compare pace in amœna
Ut vivas; Et Jova beet vos prole bonisq;.

Sponsæ consobrinus
Gottfridus VVerdermannus.

Mos probus ac vetus est duo cum sacra fœdera jungunt,
fœdera legitimi, SPONSE benigne, tori,
Sollicitè ut liciti primi structoris amoris
Exposcamus opem consiliumq; DEI.
Ergo, quod dixi, solenni grator honori
Et bona conjugio carmine fata precor:
Dum CHRISTIANE facem castam sub corde tuopte
Sentis, trinacrijs quæ ardet ut Ætna jugis:
Nam puer alatus violavit arundine pectus,
Inde latens venis vulnus amoris alis.
Additur hinc Virgo roseo spectabilis ore,
Casta verecundi dona pudoris habens:
Jungitur, ecce, tibi, cum te sors aspera vexat,
Blandisonis verbis quæ exhilarare potest.
Quisq; haud immeritò nunc te putat esse beatum,
In cujus gremium talis amica venit.
Gratulor hinc iterum, quantumvis Carmine vili
De sociâ placidâ quæ tibi nupta venis;
Concordes sitis longos per Nestoris annos,
Lites dirumpens pellat ab æde DEUS.

Philippus Schultz Sponsæ Consobrinus.

NIl magis eſt Jovæ gratum, nil dulcius unqvam,
Mortali miſero conſore in orbe putes.
Qvam ſi qvis juſti thalami intret tædia fauſta,
Atq; ſimul nuptam jungat amore ſibi.
Namq; Deus rerum Fabricator qvas tenet orbis,
Integer, inſtituit Conjugij ipſe torum.
Adamum poſtqvam putri ex tellure creavit,
Evam de coſtâ condidit atq; viri.
Uxorem pulchram conſpectu adduxit Adamo,
In placido ut poſſent, vivere conjugio.
Cum *Tornovi* igitur celebres Himeneia feſta,
Connubium fœlix voce animoq; precor.
Det Deus Omnipotens, qvi jungit fœdere amantes,
Vivatis Pylij tempora ut ampla ſenis.
Exulet â veſtro thalamo omnis amoris amaror,
Sit ſine lite domus, nec ſine prole torus.

David Senftleben Sileſius.

Jocus Nuptialis Dn. Sponſo ad alluſionem nominum.

BRuchmann *&* Lochmann, *ſi* Bauchſpies, Vickius *adſint*
Conviva & ſocij, ſponſe novelle, thoro.
Si pugnatores fuerint Vöglerus *acutô*
enſe, & Stecherus, *ſponſe perite, bonus:*
Tunc poteris certè, ut Turnus *nova Pergama Troja*
bellare, & Thalami victor abire; Comes.

Cætera textus habet.

F I N I S.

